



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annales Episcoporum Slesvicensium

Cypraeus, Johann Adolph

Coloniae Agrippinae, 1634

Capvt V. Frotho VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64615)

tria bella Normannorum insignia. Vnum regnante Erico iunior. Stadens. fol. 92. Alterum anno 876. cuius idem Stadensis meminit fol. 94. Tertium & vltimum in quo delati sunt fol. 96. Anno 888. vide Helmold. cap. 8.) Ita iustissimus Deus Nordmannos propter Religionis contemptum, & Christianorum ingentē afflictionem ac persecutionem, tandem ad pœnam rapuit: vt quibus primum res paulo secundiores concesserit, postremo autem pro impietate plagam mortiferam inflixerit. Ab illo itaq; tempore grauissima ac asperrima Nordmannorum persecutio tandem cessauit & conquieuit, Deo sanguinem Christianorum, qui annos septuaginta abundè satis effusus erat, vindicante, (vt Helmoldus scribit cap. 8. & Stadens. fol. 96.) Hæc incidere in tempora Adelgarij Episcopi Hamburgensis, qui anno à Christo nato 909. ex hac vitâ migravit. Ex quibus constat religionis exercitia, in his oris sub Cnutone interrupta, aliquantisper conquieuisse. (Anno 912. post Olaph Sueonum Principem, qui regnauit in Dania cum filijs suis, ponitur in locum eius Sigerich. Cumq; paruo regnasset tempore Hardeger filius Sueni à Nordmannia veniens eum regno priuauit. Abbas Stadens. f. 98.

CAPVT V.

FROTHO VI. Rex Daniae 61. rebelles Prouincias domuit: in Anglia religione Christiana imbutus & baptizatus, dum eandem per Agapetum Romanum illic introducere tentat, mortem obit, sub quo templum Slesuicense readificatum.

Imbutus sacro cultu, dum præfuit Anglis,
Danorum FROTHO, Rex cupit esse pius.
Romana mandat doctos à sede vocari,
Sed pia Religio Rege cadente cadit.

A. C. 896.

CNY-

CNVTONI successit Filius Froto, eius nominis sextus. Qui etsi impio Patre natus esset, tamen ad Religionem animum adiecit, in Anglia ea imbutus. Nam magnam Angliæ partem, quæ ab eius Patre defecerat, recuperauerat. Religionis autem propaganda & amplificandæ studio in Daniam reuersus, ab Agapeto Pontifice Romano per Legatos, quos Romam ablegauit, petijt, vt viros pietate & eruditione præstantes, in Daniam mitteret, qui populum rudem ad Christum conuerterent, & Dei verbum docerent. Ex Anglia quoq; plerosque accersuit. & ex ijs, qui in Regno Daniae hinc inde dispersi exulabant, complures collegit, qui rem diuinam tractarent. Sed Froto, antequam Legati Roma rediissent, vitam cum morte commutauit, dignus vita longiori.

GORMO II. Rex Daniae 62. cognomento Anglicus, propterea quod in Anglia à Rege Alurad educatus: Imperium vtriusque Regni Angliæ & Daniae obtinere non potuit: sed hoc potitus, alterius dominium ac possessionem penitus amisit: nihilq; fortiter ac animose vnquam pro illius recuperatione conatus.

Huius filius GORMO, Anglicus cognomine, Christianam & ipse Religionem amplexus est, vt qui in Anglia iam dudum ad Christum conuersa, à Rege Alurad educatus esset. Cumq; ex Anglia in Daniam sese contulisset, & disponendis regni negotiis distineretur, Angli libertatis suæ spem in eius absentia reponentes, ab eo defecerunt, & rebellarunt. Neque eam postea vnquam recuperauit. Aded difficile est regna prægrandia, magno interuallo locorum remota, & distantibus in locis posita, in officio continere. Cui defuncto successit Filius.

HARALDVS V. Rex Daniae 63. obscurioris memoriae, nullisq; rerum præclare gestarum monumentis clarus ac insignis, regiarum opum seruator magis, quàm propagator existit. Obijt anno

909.